iniuste. mundus te non cognouit. Clamans laboraui. quia nullus ei credere uolebat. Raucae factae sunt fauces meae. quando uerba eius sacri
legi homines non intellegebant. Cum enim diceret. Nisi manducaueritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem. et cetera. Illi non in
tellegentes dicebant. Durus est hic sermo. Quis potest eum audire. Quasi raucus erat. qui audiri non poterat. Aliter. Per fauces
domini. apostoli intelleguntur. qui imminente domini passione. a praedicatione obmutuerunt. et uelut quadam raucedine depressi sunt.
Defecerunt oculi mei dum spero in deum meum. Per oculos domini ipsi intelleguntur. qui in Christi corpore summum locum tenent. Defecerunt. quando
a spe et contemplatione cessauerunt. Tunc petrus negauit. et quidam apostolorum dicebant. nos autem sperabamus. quia ipse esset redempturus israhel.
Multiplicati sunt super capillos capitis mei. qui oderunt me gratis. Capilli. ad decorem additi sunt capiti. Ideo per capillos eosdem apostolos.
siue LXX discipulos debemus accipere. quibus Christus dominus cum quodam decore circumdabatur. Super hos capillos qui eum oderant multipli
cati sunt. quia multo plures numero extitit turba malignantium. in tantum ut unus de apostolis iudas illis adderetur. et multi disci
pulorum eius abierunt retro. Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniuste. Idem repetit aliis uerbis. Quod enim multiplicati sunt. idem
est confortati sunt. quod dictum est qui oderunt me gratis. idem est. qui persecuntur me iniuste. Gratis enim. hoc est nulla causa existente
eum oderant. et iniuste persequebantur eum. qui illorum operabatur salutem. Quae non rapui tunc exsoluebam. id est peccatum quod non feceram exsoluebam
quia pro aliorum peccatis mortis debitum sustinebam. Adam quippe rapuit. quando pomum interdictum praesumpsit. propter quod mortis
supplicium incurrit. Solus Christus non rapuit. id est non peccauit. et tamen mortis debitum exsoluit. Deus tu scis insipientiam meam.
et d. m. a. t. n. s. a. Christus dominus insipientiam habere non potuit. cum ipse sit dei uirtus et dei sapientia. Similiter nulla delicta
commisit. peccatum enim non fecit. nec inuentus est dolus in ore eius. Sed hic ex parte membrorum suorum loquitur. pro quorum peccatis mortuus est.
Erant enim homines insipientes et peccatores. sed sicut in titulo praemissum est. commutati sunt et de insipientibus sapientes. de peccato
ribus iusti facti sunt. Non erubescant in me. qui expectant te. d. d. u. Hoc ex persona sua dominus loquitur. Fideles inquit mei. qui me
ut resurgam post mortem desiderant expectant. Non erubescant in me. Nemo in morte dicendo dicat illis. Ubi est
spes de qua praesumebatis. Te enim erubescerent. si Christus non resurgeret. Dominum autem uirtutum. cum patrem dicit. qui uirtutum celesti
um dominus est. et in sua habet omnia potestate. Non confundantur super me. qui q. t. d. i. id est non insultationes improborum diutius
sustineant de morte mea. qui te deuota dilectione requirere comprobantur. et qui diuinitatem eius mentis acie poterant intu
eri. Hoc est enim quod dicit deus israhel. Post haec et ad eiusdem personam referri quod precatur. Non tantum permittat affligi ab impiis persecuto
ribus et hereticis. ut erubescant in ea quam pie requirunt. dum uident eam inmanissima atteri persecutione. et non diuino
eloquio reuelari. Quoniam propter te sustinui obprobrium. Cum diceretur. Demonium habes. et in beelzebub eicit demonia. Attende
autem quod dicit propter te. Non enim magnum est sustinere. nisi pro deo sustineas. Si sine causa sit. tunc erit proficua sufferentia.
Qui autem propter sua patitur peccata. propter se non propter deum sustinet. ideoque non est beatus. Operuit confusio faciem meam. cum diceretur.
Hic est filius fabri. homo uorax potator uini. et cetera talia. Extraneus factus sum fratribus meis. Fratribus suis iudeis qui erant
illi sanguinis sui unitate coniuncti. extraneus fuit. quia in propria uenit. et sui eum non receperunt. Peregrinus factus est filiis
matris suae. ipsis uidelicet iudeis qui erant filii matris suae sinagogae quibus peregrinus fuit. quia ut alienum. et samaritanum
habebant hunc nescimus unde sit. Quoniam zelus domus tuae comedit me. Uidens illos spurce agere non sustinui. non paci
enter tuli. sed corripui redargui. in tantum ut eos de templo facto de restibus flagello eicerem cum uiderem male tractare
sancta tua. propter quod extraneus et peregrinus illis factus. Hoc ita intellexisse apostolos. docet euangelium. Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.
Ceciderunt. quasi tela desuper uenientia. Exprobrantium dicit. quia contumelia filii redundat in patrem. Qui enim non ho
norificat filium. non honorificat eum qui misit illum. Et operui in ieiunio animam meam. Et factum est in opprobrium mihi. Ieiu
nium Christi fuit. quod cum ille eos saluare. et in corpus suum uellet per fidem traicere. illi quasi manentem ieiunium eum dimit
tebant. nolentes eum recipere. Esuries eius est. desiderium salutis humanae sicut ipse dixit. Meus cibus est. ut perficiam opus
patris mei. Factum est hic mihi in obprobrium. cum ab illis exalaparer. conspuerer. flagellarer. Et posui uestimentum meum
cilicium. et factus sum i. i. p. Cilicium caro domini saluatoris. quam propter nos indutus est. Posuit itaque uestimentum suum cilicium.
quia in similitudinem peccati apparuit. ut de peccato dampnaret peccatum. Siue cilicium designat tristiciam. quam
dominus indutus est. Hoc oppletus est. et circumdatus. pro iudeorum perdicione. Et factus est im parabolam. quando per quasdam
similitudines eis loquebatur. ostendens Christum esse ueluti est similitudo patrisfamilias. qui habuit duos filios. et alia
hominis. qui habebat uineam. ad cuius fructus colligendos misit seruos. Nouissime misit et filium. quem agricolae.

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 145 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/145)